AUTHOR:

SCHERER, F. J.

TITLE:

DE GRAECORUM "ATES" NOTIONE ATQUE...

PLACE:

MUNSTER

DATE:

1866

Master Negative #

93-81451-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885
28v.5 Scherer, F J Dissertation
De Graecorum ἄτης notione atque indole
Rheine 1866 pt 2

371748

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12 1/2X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/3/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Jahresbericht

über das

Gymnasium Dionysianum

zu Rheine.

V.

Schuljahr 1865—1866.

Von dem

Director des Gymnasiums

Dr. Grosfeld.

Inhalt:

Münster,

Druck und Papier von Friedrich Regensberg.

1866.

De Graecorum ΑΤΗΣ notione atque indole.

Pars II.

Scripsit Dr. F. J. Scherer.

Quum ante hos octo annos ad gradum philosophiæ doctoris ab Academia Regia Monasteriensi rite impetrandum libellum scripsissem de ἄτης notione atque indole, in rerum copia tunc quidem materiæ, quam ea de re collegeram, parte tantum in lucem edita, reliqua in aliud tempus distuli exponere. Quare quum hocce anno munus ad me delatum sit scribendi aliqua, quæ annalibus gymnasii nostri præmitterentur, libentissime rem, quam adamaveram, iterum suscepturus, hac commentatione naturam ἄτης, qualis est apud Sophoclem — nam is proxime sequitur — animum induxi describere. Viam autem, quam in illa commentatione [1]) secutus sum, ut indicem iis qui non legerunt, rerumque ibi tractatarum summam ut addam, quum persuasum haberem, de eiusmodi rebus ad religionem veterum pertinentibus recte non diiudicari, nisi accurata omnium ad certam quæstionem pertinentium locorum collectione eorumque comparatione, opinione ductus, quæ sunt veterum de diis rebusque divinis doctrinæ, eas migrare mutarique, ita quidem, ut apud recentiores scriptores puriores emendatioresque reperiantur de rebus divinis opiniones, quam sunt antiquiorum, imprimis epicorum: rem ita rectissime absolvere mihi visus sum, ut, ἄτης vocabulorumque affinium notione universali primum constituta, eam persequerer per poëtas epicos Homerum et Hesiodum, deinde lyricos Solonem, Theognidem, Pindarum, tum explicata fati et ἄτης, quæ intercedit, ratione, tractarem ἄτην Aeschyleam. Rerum autem, quas ibi tractavi, ut omittam opiniones aliorum, quorum haud scio an quisquam materiam tam copiose tractaverit, summa hæc est. «Ἄτη» apud Homerum et Hesiodum et dicitur de mente turbata (Verblendung) et de quavis externa calamitate (Unglück), deinde vero ipsum interdum significat delictum seu noxam (Schuld) ex occæcata mente exortam. Significationem autem vocabuli tam fluxa indole quum locorum omnium accu-

---

[1]) De Græcorum ἄτης notione atque indole. Particula I. Dissertatio philologica. Scripsit F. J. Scherer. Monasterii 1858.

rata collectione ita proposuissem, quod ad alteram quæstionis partem attinet, causam ac fontem eiusmodi animi perturbationis vel calamitatis vel noxæ indagavi in Ate dea, quæ occæcare omnes dicitur (ἣ πάντας ἀᾶται Il. XIX. 91.), sæpe in diis, omnium rerum auctoribus, raro in homine ipso, quod quum contingat videre, damnum, quod patitur homo, iam ex Homericæ ætatis hominum opinione commeritum haberi iure concludere nobis videmur [1]. Eam autem graviorem vocabuli naturam inde multum auctam persequi licet per poëtas illos lyricos, in quibus ea vocabuli indoles prævalet, ut sit calamitas ex animi nimiis cupiditatibus et iniuria quadam ut ex fonte profluens [2]. Sequuntur tragici poëtæ et quidem princeps Aeschylus, in quo alia et adaucta ἄτης indoles apparet, quum sit calamitas, a primo quodam flagitio exorta, etiam ad posteros cognatosque scelerati hominis pertinens ac continua, quæ in propagatione cernitur. Quod quum primum locis aliquot ex tragicis poëtis collectis gravioribus confirmatum esset [3], deinceps comprobavi ex Orestia Aeschyli, labentem Pelopidarum ruinam ducens a primo flagitio, quod, quandoquidem familiæ ex illo inhærebat mala libido et in malum propensus animus, quamvis liberum maneret hominis arbitrium, continuatum videmus novis facinoribus, quibus, ne sperata salus domui affulgeret, impeditum est, quæque patrata sunt vel dolo malo et cum sævitia vel quadam iuris specie, sed tunc quidem contraria erant aliis legibus atque institutis iure illi paribus. Nec vero solum ἄτη eam habet indolem, ut sit calamitas toti domui cuidam insita atque inhærens, sed dicitur etiam apud Aeschylum de quavis maiore calamitate, id quod ex reliquis poëtæ fabulis comprobatum est, atque etiam nonnullis locis ad mentis perturbationem refertur et interdum notionem habet metaphoricam [4]. — Ate autem in personam constituta quum apud Homerum appareat dea mentes hominum occæcans, ut ipsi putant, insontium, etiam deorum, ab Aeschylo vindex exculta est flagitiorum ab hominibus stulte commissorum, (quæ, ut iusta pœna scelerati homines afficiantur, menti eorum caliginem offundit), sed est natura eius parum firma, quam ut parem inter deas ultrices, quæ nominantur, locum possit habere. Denique quod attinet ad poëtas epicos recentiores — nam apud Euripidem et Sophoclem nullum reperitur huius deæ vestigium — Quintus, Rhianus, Apollonius Rhodius, Nonnus aut Homericam aut Aeschyleam eius sequuntur excultam indolem [5].

§. 1. Exposita doctrina Aeschyli, quæ de ἄτη est, quæque duabus rebus continetur, ut præter alias, quas illud vocabulum habet, notiones, dicatur imprimis de singulari quadam calamitate, qua vel unus vel familia quædam, et ea per complures ætates, affligitur, eademque sit hominum malis implicatorum culpa quadam contracta, quum oborta sit intemperantia hominum ac maleficio quodam: sequitur, ut de Sophocle, quem alterum appellamus tragœdiæ principem, disserendum sit. Quæritur autem hic, is Aeschyli de his rebus doctrinam utrum plane amplexus sit, necne. Atque quod attinet ad ἄτης indolem,

[1]) l. c. p. 25. — [2]) l. c. p. 26 sqq. — [3]) l. c. p. 34 sqq. — [4]) l. c. p. 52. — [5]) l. c. p. 56 sqq. Accedit ibi brevis Ates cum Nemesi comparatio et de φθόνῳ θεῶν explicatio p. 59—64.

ut sit quum unius hominis eximium infortunium, tum gentis per gentiles sese propagans ac durans, Sophocles doctrinam ab illo excultam retinuit atque servavit. Sed quod attinet ad alteram quæstionis partem, si quærimus de culpa, quam in se contraxerint ii, qui malis sunt obruti, aliter se res habet. Quamquam enim Antigona, Creon, Clytæmnestra, Aias, alii culpa non carent, at de Philocteta, Deianira, Oedipo, si de culpa quæritur et quidem voluntaria, statuendum est aliter [1].

Ac gentis totius calamitas, quæ, excitata avi malitia, grassatur in eius posteros, omnes opprimens, a Sophocle porro in Labdacidarum fatis egregie descripta est. Laius enim, Thebanorum rex, primum — id quod ex oraculo illo, quod vulgo fertur, coniicere licet — Furias in domum suam induxit, Chrysippo, Pelopis filio, turpiter rapto, quod facinus «πρώταρχον ἄτην» dixerim. Quum deinde Iocasta, Laii coniux, partus non ederet, oraculum, quod ille adierat, ei quidem filium promisit sed fatalem patri, quippe cui per illum pereundum esset; ita enim Iovem constituisse, qui Pelopis diris imprecationibus obtemperasset [2]. Attamen Laius filium procreavit, procreatum morti tradidit, ita oraculum irritum fore ratus (O. T. 717 sqq.). Res tamen aliter evenit. Nam ille infans, cui a tumore pedum, funibus religatorum, postea Oedipus nomen inditum est (1032), servatus per pastorem quendam delatus est ad Polybum, Corinthiorum regem, quem quidem diu pro patre colebat, dum adulto iam per convivam ebrium cavillantemque dubitatio exorta est de vera sua origine (774 sqq.). Quo facto quum a Polybo, quem de ortu suo interrogaverat, certum responsum, in quo acquiesceret, ei datum non esset, hac in re trepida Delphos petiit, quid recte faceret, deum ipse consulturus. Qui quum monuisset tantum, in fatis esse (χρῆναι) ut patrem occideret matrique connubio iungeretur (791, 994 sqq.), Oedipus tale immane facinus abhorrens, ut parricidium matrisque connubium effugeret, Corinthum non revertit, quamvis nesciret, quo sese verteret. Quumque per Phocidem permigraret, in augustiis quibusdam huius terræ (ἐν τριπλαῖς ἁμαξιτοῖς 716 cf. 800 sq., Eurip. Phœn. 38.) cum Laio concurrit, Delphos nescio qua de causa petente, quem, quum vim sibi intulisset, via decedere neganti, una cum comitibus morte oppressit. Unus tantum ex illis evasit, qui nuntium eius cladis Thebas retulit. Quo facto Oedipus iter pergens Thebas venit, eo tempore a Sphinge, diro monstro, valde vexatas. Aenigmate autem, quod illa proposuit quodque ad hominem pertinuit, per iuvenem magna sapientia soluto, pestem illam (ἄτας

[1]) De Sophocle præter alios iuvat conferre: Fr. Lübker, die Sophokleische Theologie und Ethik, Kiel 1851 u. 1855 (imprimis I. §. 41, II. §. 41 sqq.) — G. Dronke, die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylus und Sophocles (besonderer Abdruck aus dem IV. Supplementbande der Jahrbücher für klass. Philol. Leipzig 1861) — F. Peters, de peccati in tragœdiis Sophocleis vi et natura commentatio. Conitz 1859. 4.

[2]) OK. 969 sq. (ed. Schneidew.), OT 711 sqq. cf. Eurip. Phœn. 18 sqq. (ed. Matth.); schol. ad Aristoph. Ran. 1216 (ed. Küster.); Aeschyl. Spt. 727 sqq. (ed. Schütz). Quod Laius oraculum neglexerit, ab Aeschylo affertur causa viri infirmitas, qua malis amicorum consiliis succubuit («κρατηθεὶς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίας»), ab Euripide libido et ebrietas («ἡδονῇ δοὺς εἴς τε βακχεῖον πεσών» l. c.), ab Sophocle affertur nulla causa.

ὑπερορνυμένας πόλει 165) desiisse narrant. Ut vero saluti, quam Oedipus urbi reddiderat,
gratiam referrent iustam, Thebani ei Jocastam, urbis reginam viro orbatam, in calamito-
sum matrimonium (*λέκτρων ἆται* Ant. 862, cf. *γάμων ἄτᾳ* OK. 525) dederunt eundemque
regem fecere. Ita parricidio peracto et nefario hoc connubio, ex quo quatuor liberi orti
sunt: Eteocles, Polynices, Antigona, Ismena, inito, responsa oraculi expleta sunt,
simulque illud tantum nefas semen factum est longæ ac miseræ messis malorum. Post
enim aliquot annos feliciter in regno peractos gravis pœna Thebanorum terræ immissa est,
pestilentia vorax. Qua calamitate oppressi Thebani Delphos miserunt, sed deus malorum
finem non fore respondit, nisi expiata Laii cædes esset · vel mutua cæde vel exilio eius,
qui interfecisset (OT. 100, 308). Quod responsum quum Thebas relatum esset, Oedipus,
iustitiæ amantissimus rex, ipse illum investigare diligenter studet, dum per Tiresiam vatem,
qui motus misericordia regis infelicissimi, quominus verum aperiret, initio diu restitit, deinde
vero ab Oedipo asperius appellatus ac lacessitus est, et per hominem illum, qui ex cæde,
qua Laius periit, solus vitam servaverat, omnia sua ipsius scelera aperte cognovit. Itaque
quum omnia patefacta essent, Jocasta, quæ modo oraculum, quod falsa edidisset, petu-
lanter irriserat, manus sibi ipsa vecors conscivit, Oedipus, ne procreatam ex matre stir-
pem diutius aspiceret, oculis sese privavit. Qua tanta calamitate domus opulentia ac lux,
quæ breve temporis spatium ei affulserat, uno die in magnam stragem conversa est et
gemitus, vecordia, cædes, infamia *στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη* 1282) in illius
locum successerunt. At non ad Oedipum solum et Iocastam hæc calamitas pertinuit, etiam
filii, quum patrem male tractarent, in exilium eiicientes (OK. 93, 427, 646, 529 sq.)[1]) a
patre exsecrati ea afflicti sunt. Nam Furiæ, patris diræ ultrices, in hos irruunt insaniam-
que movent (1299, 1375, 1434) et, ut de regno certantes mutuam cædem sibi infligant,
per deos statutum est. Hæc discordia fratrum est illa «*πεπρωμένη ἔρις*» 421, cf. 371 sqq.
In eandem sententiam Oedipus oraculo fretus Apollinis, qui quietem in Eumenidum luco
illum inventurum promiserat, se fore putat emolumentum iis, qui acceperint, at damnum
(*ἄτην*), qui eiecerint (93 sq.). Hoc idem valet, ac si alias dicit, suum genium ultorem
(*ἀλάστωρ*) in Thebana terra remansisse (788. cf. Eur. Phœn. 1566). Polynicem vero alte-
rum filium, ab Eteocle fratre exulem factum et patris auxilium implorantem, iterum exse-
cratur (1383 sqq.). Quare fratres, singulari certamine orto, mutua manu occidunt, et ita
Laii illud facinus ad tertiam ætatem (*αἰῶνα ἐς τρίτον* Aesch. Spt. 728) pertinuit. Nec vero
solum filii Oedipi, sed etiam filiæ, Antigona et Ismena, *δύ' ἄτα* OK. 533 «zwei Gräuel».
cf. Ant. 533), domestica calamitate correptæ sunt. Prior enim statim initio fabulæ, quæ
eius nomine inscripta est, valde quæritur, quod a patre miseria atque etiam infamia in se
et sororem transierint. «Nihil enim, ut ait, acerbi est, nihil, ut taceam calamitatem

---

1) Apud Aeschylum fratrum discordia eorumque mutua cædes patris exsecrationibus evocatur (Spt. 708, 751, 770 sq.), apud Sophoclem ipsorum maleficio. Apud Euripidem filii patrem ædibus includunt, quam ob causam diras illis imprecatur, ut ferro de regno decertent (Phœn. 63, 876 sqq.) cf. Lassaulx, Studien des klass. Alterth. pag. 364.

(*ἄτης ἄτερ*), etiam turpe nec ignominiosum, quod equidem non in tuis et in meis malis viderim. (Ant. 4 sqq.)[1])

Habes dira Labdacidarum fata, quæ per tria genera viguerunt, sequitur, ut eam §. 2.
renascentem sæpe nec facile quiescentem adversam gentis fortunam *ἄτην* appellari fuisse solitam, comprobandum esse videatur. Ac pulcherrime quidem *ἄτης* ea natura circumscripta est præclaro illo cantico chori (Ant. 582 sqq.), cuius prima stropha sic incipit:

Εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών.
οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας
οὐδὲν ἐλλείπει, γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον·

«æstuantis maris instar, tempestate vehementi a Thracia regione concitati, et nigrum turbulentumque limum ex fundo subvectantis, fremente litore, pulso fluctibus.» Talis autem *ἄτη*, quæ in propagatione miseriæ cernitur finemque ægre invenit, si quando initium cepit, Labdacidarum est. Nam, ut chori verbis utar,

ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι
πήματα φθιτῶν ἐπὶ πήμασι πίπτοντ',
οὐδ' ἀπαλλάσσει γενεὰν γένος, ἀλλ' ἐρείπει
θεῶν τις οὐδ' ἔχει λύσιν.

«Nam nunc super ultima subole nova lux diffusa erat in Oedipi domo, sed rursus etiam eam demetit deorum inferorum cruenta falx et ipsius imprudentia ac mentis furor» (593—604).[2])

Quæ in his versibus *ἄτη* est, eam poëta alias dicit «veterem gentis perniciem» (*τὴν πάλαι γένους φθοράν* OK. 369), quæ miseram Oedipi domum in sua tenuit potestate, quamque intuentes filii initio non de regno certasse neque urbem discordia commaculasse dicuntur, seu «veterem miseriam» (*παλαιὰν ξομφοράν* 596), quæ in omnium ore versatur; et Oedipi sententia est, suam adversam fortunam recte ad deos referri, qui genti suæ irascantur antiquitus (*τάχ' ἂν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι* 965, cf. Ant. 856). His longa illa Labdacidarum calamitas circumscribitur, iam vero, quoniam Sophoclis fabula, quæ Electra inscribitur, ad Pelopidarum tristia fata pertinet: ex quo Pelops Myrtilo cædem inflixit, mala arte eum in mare detrudens, domum illum, multis malis obrutam, nunquam liquisse dicitur infamia (*οὔ τί πω ἔλιπεν ἐκ τοῦδ' οἴκους πολυπάμονας αἰκία* 504—515). — Hoc loco tria monenda esse videntur, primum de durante calamitate

---

1) Locum enim vexatissimum cum Boeckhio (edit. Antig. pag. 209 sqq.) sic legendum esse puto:

οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' — ἄτης ἄτερ —
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμον ἔσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Illud «*ἀλγεινόν*» enim respicit ad priores calamitates: parricidium Oedipi, parentum incestum, matris necem, patris adversam fortunam, fratrum discordiam ac cædem, quæ mala invicem sese exceperunt. Hæc est *ἄτη* familiæ, quam tacere vult, nam aliud obortum est dedecus: iacet insepultus frater.

2) Cf. Winiewski: De Sophoclis Antig. cantico chori tertio Monasterii 1839. 4.

omnino esse sermonem, deinde eam aperte repeti a primo flagitio, quod excitaverit, id quod in Labdacidarum sese excipientibus fatis non fit, tum eam ipsam calamitatem appellari «*αἰκίαν*» (cf. 102, 206, 486). At diverso nomine res ipsa nihil mutatur; nam calamitas et hic et illic intelligitur, quæ licet nomen eius sit «*ἄτη*» seu «*γένους φθορά*» seu «*παλαιὰ ξυμφορά*», seu «*αἰκία*», nunquam cessat, sed durat et perdere pergit. (cf. 1070, 1497, 1508). Sed chorus calamitates in Pelopidarum domo vigentes etiam aperte «*οἰκείας ἄτας*» appellat, in quas ne incidat luctus intemperantia, Electram monet (215 cf. 235).

Ut vero *ἄτη* dicitur de gentis cuiusdam durante ac perdente calamitate, ita etiam sæpius usurpatur de singulari clade unius, ut Aiacis, aliorum, id quod ex singulis fabulis infra percensendis liquebit.

§. 3. *Ἄτης* ut eius, quam notavi, calamitatis notione graviore nam habet etiam alias infra addendas — exposita, alter locus est de hominum culpa, quum quæratur, seu tota gente seu singulari homine ad perniciem ruente malisve afflicto, utrum malitia quadam atque animi intemperantia illi deorum iram ac pœnam sponte evocarint, evocatæ novo quodam facinore novam præbuerint vigendi facultatem - quod est argumentum fabularum Aeschyli —, an, quæ exhibentur in Sophoclis fabulis variæ calamitates, earum non ubique cernatur culpa quædam, in hominis arbitrio posita, malumque, quod patitur, aliam quandam præ se ferat indolem. Qua in re recte diiudicanda percensentem singulas fabulas iuvat, quoad apte potest fieri, rationem habere temporis, quo singulæ ortæ atque doctæ sint. Nam quod supra monitum est, in tractandis rebus divinis opinionum ac doctrinæ per scriptorum magnum numerum progrediente tempore cerni progressum, hoc idem valere videtur de singulis, quorum in diversa ætate opiniones sæpe mutantur, corriguntur, emendantur. Quare de singulis Sophocleis fabulis agam hoc ordine, ut, tribus capitibus eas complexurus, primum de A n t i g o n a, E l e c t r a, A i a c e, tum de P h i l o c t e t a, T r a c h i n i i s, denique de fabulis, quæ Oedipi illustrant adversam fortunam: O e d i p o T y r a n n o et O e d i p o K o l o n e o aptissime disserere mihi videar. [1])

---

[1]) Qui fabularum ordo quamquam dissentit ab codice Laurentiano, qui fabulas, ex magno fabularum poetæ longævi numero adhuc reliquas, hoc ordine narrat: Ajas, Electra, Oedipus Tyrannus, Antigona, Trachiniæ, Philocteta, Oedipus Koloneus, tamen pro meo consilio de Antigona et Electra prius, quam de Ajace recte agitur, quoniam illarum mulierum misera sors cohæret cum familiari clade. Ad Oedipum vero pertinentes duas fabulas coniungendas esse puto, quum arcte cohæreant, nec altera sine altera intelligi explanarique recte possit. Ita fabularum ordinem, qui vulgo fertur, quum in universum servavi, tum vero, si temporis ratio habetur, tres gravissimas fabulas, ut quæ quæstioni huic inprimis serviant, dico Antigonam, Philoctetam, Oedipum Koloneum, hoc ordine doctas esse constat. cf Schneidewin. in prooemio Ajac. p 29 — De trilogia autem, ad quam conglutinare quidam voluerunt tres illas ad Labdacidarum fata pertinentes fabulas cogitandum non est. cf. Schmalfeld, Die beiden Oedipus-Tragödien und die Antigone bilden keine Trilogie (Zeitschrift für das Gymnasialw. 1860 (XIV) p. 273 sqq.

I.

In fabula igitur, quæ A n t i g o n a inscribitur, etiam ultimam in Oedipi domo relictam subolem (600) suæ gentis ruina correptam videmus, Oedipi piissimam filiam, sed non rursum temere, sed propter ipsius immoderatum animum atque imprudentiam. Antigona enim, Polynice fratre sepulto, legem læserat, a Creonte, urbis principe atque administratore, qui illum ut patriæ proditorem humari vetuerat, promulgatam. Quare, quamvis amantissima soror pie egisset laudemque mereret (74, 450, 897 sqq.), tamen fratre humato legem neglexerat iustam. Adde, quod viraginis pertinacia quædam atque atrocitas per totam fabulam in promptu est. Chorum enim, quem ut morum agendique æquissimum iudicem in Antigonæ causa audire iuvat, illa ad supplicium condemnata, postquam in pulcherrimo cantico, iam supra (§. 2.) partim allato, *ἄτης* naturam in universum descripsit, deinde eius fontes aperit, in hominum insolentia positos eorumque intemperantia, qua in re rationem habet imprimis Antigonæ simulque Creontis. Sunt autem verba eius hæc: «Malorum (sc. in Labdacidis) non est liberatio. Nam diffusa erat nova lux super ultima subole in Oedipi domo —

κατ᾽ αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κοπίς,
λόγου τ᾽ ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινύς (598 sqq.)

i. e. et cruenta rursus eam demetit Inferorum falx et vecordia ac mentis furor.»

His igitur chori verbis Antigona perire dicitur imprudentia ac mentis Furia, qua correpta ad facinus impulsa est, quæ mentis vitia per totam fabulam videre licet inde ab initio, quo in Ismenam sororem atrociter invehitur cunctantem recusantemque, in sepeliundo fratre illi præsto esse, legem, quam Creon promulgaverat, reveritam. Quid, quod Antigona ad extremam temeritatem processisse et ad Justitiæ sublimem thronum allisisse dicitur? Nam ita chorus eam alloquitur:

προβᾶσ᾽ ἐπ᾽ ἔσχατον θράσους
ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προςέπεσες ὦ τέκνον, ποδοῖν.
πατρῷον δ᾽ ἐκτίνεις τιν᾽ ἆθλον (852—56.)

Ultimo versu rursus eam sententiam habemus expressam, patrum delicta ac malos mores pertinere etiam ad liberos. Nam p a t r i u m dicitur solvere quendam laborem, i. e. pati laborem, qui ei a patre hereditarius est Ferox autem puellæ indoles ad ferocem patrem præterea refertur 471, et Creon eam inde a prima ætate amentem fuisse prædicat (562). Quare his fere excusatam habeas Antigonam, quippe quæ suæ gentis ruinæ vel iam eo obnoxia sit, quia Labdacidarum propago est. At illi priores versus veriorem calamitatis causam exhibent procacitatem (*θράσος*) et imprudentiam (*λόγου ἄνοια* 604). *Δίκην* vero, quæ legum sanctitatem tuetur ac custodit, quum violasset, ingens malum in se congessit. Nam licet bonum eius facinus per se fuerit ac laudabile, læsit tamen edictum eius, cui legum custodia ac potentia data sunt. Hæc enim est chori sententia:

σέβειν μὲν εὐσέβειά τις,
κράτος δ' ὅτῳ κράτος μέλει
παραβατὸν οὐδαμῇ πέλει,
σὲ δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά (871—74).

Quare non solum avorum vitia ad Antigonam usque perniciosa sua vi pertinent, sed magnam partem misera eius sors ex libere agentis appetitu et immodica agendi ratione profecta est.[1])

§. 5. Nec vero solum Antigona iure patitur sed etiam Creontem, urbis principem, suam suorumque calamitatem noxa conflavisse eadem fabula docetur. Creontis autem culpa, qua malum commeruit, vel eo augetur, quod eius propria est neque cohæret cum fatis gentis cuiusdam diis invisæ. Quare chorus quum tanto malo illum implicatum corpusque Hæmonis mortui, carissimi filii, in manibus gestantem aspexisset hæc: *οὐκ ἀλλοτρίαν ἄτην ἀλλ' αὐτὸς ἁμαρτών* (sc. *ἔχει* 1259) i. e. mortuus filius signum (*μνῆμα*) est non alienæ sed propriæ noxæ. — Ad Creontem autem altera pars chori cantici pertinet, cuius priorem partem supra explanavimus (582 sqq.). Nam stropha *β'* postquam chorus Jovis potentiam laudavit hominum fastu (*ὑπερβασίᾳ*) non cohibitam, nec somno unquam nec tempore labefactatam, quum ille usque Olympum teneat iubare nitentem, et dehinc et in futurum sicut ante vigere ait legem hanc: *οὐδὲν ἕρπει θνατῶν . . . . ἐκτὸς ἄτας* (613) i. e. nemo mortalium transit vitam noxæ exsors (seu: nemo mentis cæcitatem non dolet) sc. si fastu effertur ac gestit cum Jove contendere, cuius potentia est altissima, insuperabilis et æterna.[2]) Sed audi porro chorum in antistropha *β'* causas aperientem, cur homines ad perniciem ruant:

«Quamquam vaga spes multis est adiumento, at multis etiam fraus est libidinum levium (*ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων* i. e. *ἄτη*, quæ animum occæcat). Obrepit autem (sc. hæc perversa spes) homini sentienti nihil prius, quam flagrante igne pedem adurat. Sapienter enim a quodam edita vox celebris est:

«*τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν*
τῷδ' ἔμμεν ὅτῳ φρένας
θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.» et quod chorus addit:
πράσσει δ' ὀλιγοστὸν χρόνον ἐκτὸς ἄτας (622—25)

i. e. aliquando malum videri faustum ei, cuius animum deus vult occæcare. Atque is perbreve tempus agit exsors noxæ.

[1]) Cf. Böckh. l. c. p 158, qui de fabula ingeniose disserens hæc: «Ungemessenheit und leidenschaftliches Streben, welches sich überhebt, führt zum Untergang; der Mensch messe seine Befugnisse mit Besonnenheit, daß er nicht aus heftigem Eigenwillen menschliche oder göttliche Rechte überschreite und zur Buße große Schläge erleide» et: «die Vernunft ist das Beste der Glückseligkeit» (p. 160.).

[2]) V. 613 ex codicum mss. auctoritate adscripsi; illud autem vexatissimum «*βιότῳ πάμπολις*» quum ægre explicatur, tum ad nostram quæstionem gravioris momenti non est, quare omisi. Recentiorum autem emendandi hunc locum conamina variasque interpretationes vide apud Schneidew. l. c.; cum sententia ipsa cf. illud Homeri Il. XIX, 91.

Quare homines indulgentes vanis cupiditatibus ultra, quam licet per Jovis potentiam, cæcitate mentis affligi dicuntur, ita ut sectantes suas malas libidines calamitatem (*ἄτην*) appropinquantem non sentiant; tantopere corripi se ab illis patiuntur. Ergo malum iam sectantium animus a deo occæcatur, ut recte iudicandi non iam habeant facultatem. Quam poëtæ sententiam comprobatam videmus quum in Antigona, quæ «*δύστηνος δυστήνου πατρός*» filia (376) et suboles Labdacidarum est, quare veterem eius gentis ac fere insitam *ἄτην* resuscitavit, quum obtemperasset mentis Furiæ (*φρενῶν Ἐρινύς* 603) in illam dominanti,[1]) tum de Creonte, qui propter animi intemperantiam ac pertinaciam, quum perstaret in inhumano edicto, quo Polynicem humari vetuerat, ut insolentiæ daret pœnas, in mentis errorem seductus est. Uterque autem mente deceptus bonum ducebat, quod erat malum (622).[2])

Creon autem iure punitur propter imprudentiam (*ἀβουλίαν* 1242) et mentis pertinaciam, quam ipse deplorat, ut quæ procreasset sua mortifera peccata (1261 sq.), tum propter arrogantiam (658, 666, 734, 1040 sqq.) et ignominiam, qua Tiresiam, sacrum vatem, affecit, qui principem initio, ut ab impio edicto desisteret, leniter allocutus est (1023 sqq.) tum, quum nihil effecisset, immo conviciis oneratus esset, ut iram effervescentem evitaret, abiit (1087 sqq.). Quæ vatis ignominia vel Jovis vidéri potest contemptio. Quare eius impietas vituperatur, qua deos offendit (1067 sqq.) quæque conspicitur in legis promulgatione, cum divino iure et hominum erga mortuos pietate pugnantis. Quamquam enim edictum illud, quo Polynicem humari vetuit, iustum videtur esse civitatis respectu, quam ille armis oppugnaverat, attamen non ea inhumanitate et cum legum supernarum neglectione Antigonam ream factam, quum legi innatæ cessisset, debuit punire, certe quidem non tam pertinaciter in inhumanitate perstare. Nam quamvis humanum sit peccare, tamen prudentis ac considerati viri est, quum in malum inciderit, ei mederi nec immotum manere; *αὐθαδία τοι σκαιότητ' ὀφλισκάνει.* (1024 sqq.) Quare poeta legum æternarum firmitatem (454 sqq.) contra infirmitatem humanarum ut efferret, magnam Jovis potentiam opposuit hominum insolentiæ. Ita tyranni vitia respiciens chorus hæc:

πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν· 1348 sqq.

Antigona et Creon uterque iure suo nitebantur: illa erga mortuum fratrem pietate et deorum inferorum, inprimisque *Δίκης*, illorum assessoris (451), verecundia, hic salute patriæ, quam tueri et a calamitate (*ἄτη* 185) defendere studebat, sed nimio studio atque ira temere abrepti illa facta est atrox et pertinax, hic inhumanus atque insolens Altera

[1]) Böckh. l. c. p. 166 hanc antistropha *β'* expressam sententiam et respicere retrorsus Antigonam docet et prorsus Creontem.

[2]) De *ἄτης* notione diversa ac fluxa, quam inprimis hoc cantico chori animadvertere licet, vide §. 11.

neglexit leges humanas (*νόμους χθονός*) reverens divinas, alter læsit divinas (*θεῶν ἔνορκον δίκαν*) in suo perstans edicto humano (367 sq.) Quid, quod Creon delictum suum ipse postremum cognovit et, quæ temere gesserat, corrigere vult vati cedendo? Timet enim, ne vati resistendo longius durus videatur et mentem suam occaecet, diis infensus:

τό τ' εἰκαθεῖν γὰρ δεινόν· ἀντιστάντα δὲ
ἄτῃ πατάξαι θυμὸν ἐν δεινῷ πάρα. (1096. cf. 1113, 1318 sqq. et 1272,

ubi caput eius pulsasse in viamque præcipitem eum detrusisse dicitur deus quidam). At sero ad sanitatem rediit et diu iam *ἄτη* mentem eius implebat: plagæ enim calamitatis aderant diræ ac terribiles, quodque nuntiato, Polynicem sepultum esse, minatus est custodi, quem pecunia corruptum opinaretur: *ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους* (313) ad ipsum pertinuit. Tota eius domus corruit, Hæmone unico filio, et Eurydice coniuge suapte manu interfectis, ille quod pater sponsam suam Antigonam ad supplicium condemnaverat, hæc quod non iam habebat filium superstitem, quum Megareus, natu maior, iam ante mortem subisset voluntariam.

§. 6. Deinceps de Electra videndum est. Agamemnone turpiter (102, 206, 486) occiso per ipsius coniugem eiusque amatorem, Aegisthum, Electra multa mala ab ista patris cæde orientia (*πατρῷα πήματα* 258) in se congesta vidit in dies noctesque efflorescentia, nunquam desinentia, quum in consortio viveret matris inimicissimæ (379 sqq.) et Aegisthi, turpissimi viri, qui patrem tam misere turpiterque interemerant, dolo usi nefariæque suæ libidini indulgentes (198 cf. 278, 585, 562). Nam cuius quidem vitæ Mars pepercerat in barbarorum terra, ei tamquam robori, ut qui ligna cædunt, caput absciderunt (94 sqq.), quum prehendissent nefaria manu ex insidiis proditum ad cœnamque sedentem (125), illum Græciæ principem virum (482). Adde, quod illa infelix virgo aspiciebat muliebrem illum virum insignibus ornatum paternis patrisque solio insidentem et libantem Laribus, quin accubantem in lecto geniali miseræ matri, quæ quidem Furias patris non pertimescebat, immo lætabunda facinoribus diem necis solleniter agebat choreis victimisque (258 sqq.) Hoc in malorum cumulo quum esset sine parentibus, sine amicis, qui defenderent iniuriam, vili veste induta communique mensa exclusa, ut plebeia ancilla habita in patris domo, contabescebat ærumnis desiderioque patris, quem lugebat cæsum (185 sqq.) At non volebat cedere malorum moli illi quidem, quamvis ipsa soror Chrysothemis, eam hortaretur, ut necessitati obtemperaret repugnareque desineret, vel simularet in gratiam redire infestæ matris (328 sqq.), quoniam inutile esset, resistere imperitantibus (396, 219, 1014). Sed multum abest, ut Electra morem gerat sorori amice suadenti, ut, quo est animi fervore atque impatientia, dolorem suum odiumque in matrem et eius socium aperte significet lamentationibus continuis atque exsecrationibus. Quas ut omittat, quum imprudenter fiat in familiaremque calamitatem ipsa iis detrudatur, novas sibi rixas ciens propter animi eam ægritudinem, chorus monet his:

οὐ γνώμαν ἴσχεις; ἐξ οἴων
τὰ παρόντ' οἰκείας εἰς ἄτας
ἐμπίπτεις οὕτως αἰκῶς· (214)

et ut fidelem matrem ait amice se hortari, ne calamitatem augeat calamitate:

ἀλλ' οὖν εὐνοίᾳ γ' αὐδῶ,
μάτηρ ὡσεί τις πιστά,
μὴ τίκτειν σ' ἄταν ἄταις. (233 cf. 140 sqq., 990, 1015).

At frustra monet virginem, ut querelas illas lamentationesque omittat, nam illa profitetur se velle conqueri lamentarique usque ad extremum spiritum, nec in rerum tanto discrimine cohibere vult calamitates, quas chorus ei præsagiverat ex querelis continuis orituras:

ἀλλ' ἐν γὰρ δεινοῖς οὐ σχήσω
ταύτας ἄτας (223).

Et palam lugubri carmine invocare vult domos Ditis et Proserpinæ, Mercurium, *Ἀράν* et Furias ut vindicent Agamemnonem iniuria cæsum (103 sqq.), memorque patris imitari vult lusciniam, quæ Ityn semper luget et Niobam semper flentem mulierem (145, 236 sqq.). Inprimisque, ut iustas pœnas ii solvant, qui cædem illam patrarint, Jovem precatur (209 sqq.). Quid, quod patri cæso se gratificaturam esse sperat vexantem eos, qui interfecerint (355 sq.) et in malis versans nec sibi temperare nec pia esse in matrem vult, sed cogitare mala, quibus eos afficiat, qui se affecerint (307, 621 sqq.)? Orestis autem de morte, quam quidem, quo rem suam tutius agerent, ipse et Pylades finxerant, quare *ἄτη μάτην λελεγμένη* (1298) dicitur, nuntio audito, ipsa vult ulciscendi munus suscipere, et Chrysothemin sororem, læte a sepulcro patris, ubi libaverat Manibus, redeuntem enarrantemque pietatis signa, ibi recenter imposita, quæ ab Oreste præsente profecta esse opinatur, quum nesciat, quo calamitatis (*ἵν' ἄτης* 935) ipsa ac soror pervenerint, Oreste mortuo, uti ad cædem sibi præsto sit, exhortatur (947 sqq.). Verum ea, qua est cautione ac prudentia, illi adesse non vult, quum nemo, nedum mulier, sine sua pernicie (*ἄλυπος ἄτης* 1002) cum potentioribus possit contendere (997 sqq.) — Attamen qui interfecerunt Agamemnonem pœnas iustas (*ἀντιφόνους δίκας* 246) [1]) dare debent et, quæ chorus prædixit, *Δίκην*, iusta manibus præbentem, haud longo interiecto spatio affuturam, et Furiam, cædis vindicem, quum nunquam immemor cædis sit Agamemnon et bipennis illa securis, qua trucidatus est tam turpiter (490 sqq.): ea expleta sunt omnia Orestis adventu a diis missi, ut iustas plagas infligeret interfectoribus (37, 1382) et «expiator» (*καθαρτής* 70) fieret domus paternæ, flagitiis commaculatæ (*μογερῶν οἴκων* 93 cf. 1264). Nam Juppiter videt omnia ac moderatur (175) et quum nulla iam salus videatur esse, nuntiato Orestem esse mortuum, chori tamen certa fiducia est, Jovis fulmina non conquietura clarumque Solem, qui non possit eiusmodi flagitia aspicere, quin puniat (824 sqq.). Quare cum Oreste tectum intrare dicuntur Mars, sanguinem sitiens, et Furiæ (*μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων ἄφυκτοι κύνες* 1387) et Clytæmnestra icta explentur diræ (*τελοῦσ' ἀραί* 1419), quas illi imprecatus est maritus. — Si vere chorum

---

[1]) Cf. Aesch. Eum. 968, Ag. 736 «*ἀντιφόνους ἄτας.*»

audimus, Electra laudem meretur ut quæ pia filia sit, quæ patrem ulcisci velit in duobus interfectoribus (1080) et, quæ sunt maxime legitima (*μέγιστα νόμιμα* 1098) parentibus præstanda, ea optime persolvat patri. Qui vero lædunt pietatem, ii ex eius sententia non diu vacui sunt laboribus (*δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι* 1065). Itaque argumento huius fabulæ a poëta, ut ita dicam, «*εὐσεβεστάτω*», luce clarius rursus ea lex comprobatur «*παθεῖν τὸν ἔρξαντα*» (cf. 1026, fr. [ed. Ahr.] 148, 741). Clytæmnestra enim perfida coniux materque impia, et Aegisthus, turpis vir, propter suas libidines magnumque nefas iustas pœnas persolverunt, quibus demum interfectis Atrei stirps, permulta passa, ad libertatem ægre enisa est (1509 sqq.)

§. 7. Quoniam igitur dixi de duabus fabulis, quibus in illustrandis multa copia dicendi est de fatis non unius hominis, sed gentium, per totam antiquitatem maxime famosarum, venio nunc ad eam fabulam, quæ Aiacis docet adversam fortunam. Quæ quidem fabula, si quæris de culpa rationeque interiore, quæ intercedit inter illam malumque, quod quis patitur, mirum quantum explanat poëtæ ea de re opinionem.

Aias Telamonius, vir magna fortitudine roboreque corporis, sed magno quoque spiritu, quum in illo certamine, de Achillis armis instituto, Ulixi competitori Argivorum iudicio cessisset, indignabundus succensebant Argivorum ducibus. Quare ut odio suo satisfaceret, Græcorum duces omnes, inprimis Atridas, qui merito præmio se fraudassent, noctu ferro oppressurus erat, quum vesania correptus est, a Minerva, quam fastu suo offenderat, immissa. Turbata autem mente in pecudes irruit, in tentorium suum compellens et verberans mactansque, quotquot occurrunt, se inimicos lædere homines opinans. Sanitas vero mentis postquam propediem paulum rediit, tentoriumquè homo infelix plenum conspexit mali (*πλῆρες ἄτης* 306), quod ex vesania secutum est, magnam ignominiam, si res innotuisset, ut evitaret, conscientia ignominiosi facinoris stimulatus, gladio sibi mortem conscivit. Hæc viri vesania et quæ eam secuta sunt: immane facinus, ignominia malaque conscientia compluribus fabulæ locis *ἄτη* dicitur. Ita Ulixes, quum Minerva duce ad Aiacis tentorium accessisset eumque furentem vidisset, viri ante prudentissimi et fortissimi adversa fortuna humanæ imbecillitatis admonitus, sese commiserari dicit Aiacem *ὁθούνεκ' ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ* (123). Chorus autem, commilitones illius et nautæ Salaminii, qui, nuntiato per castra ignominioso facinore, ad tentorium conveniunt, nescientes, ubi causam inveniant tam turpiter factorum, in ira dei cuiusdam an in inimicorum malivolentia, qui famam facti temere dispersissent, quum mœrentem sedentemque illum conspiciant, ut ex sede surgat, monent, ne calamitatem etiam multum adaugeat (*ἄταν οὐρανίαν φλέγων* 196), non in lucem prodiens.[1]) Idem quum ab Aiace appelletur, ut mortem illi, quem tædebat vitæ, infligat, ne in malis versans ac malo remedio utens onus calamitatis gravius reddat, his monet: *μὴ πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει* (363). Quumque parentes senes audivissent filii vesaniam (*δύσφορον ἄταν* (642), quam

[1]) *ἄτα οὐρανία* est calamitas tam magna, ut cœlum tangat cf. Aesch. Suppl. 475 *ἄτα οὐρανονίκος*.

nemo unquam Aeacidarum passus esset, magnum luctum illis oriturum esse putat, et Teucrum, Aiacis fratrem peracta cæde postquam advenientem comperit, carmen ait canere tantæ calamitati haud absonum (*ἄτης τῆσδ' ἐπίσκοπον μέλος* 976). Denique Aias ipse gladio se perempturus Solem precatur, ut in patria terra nuntiet vesaniam suam mortemque (*ἄτας μόρον τε* 848). — cf. 384.[1])

Hæc viri autem gravis *ἄτη*· alias dicitur furens morbus. Nam Minerva Ulixem alloquens inter alia hæc: «Equidem virum versantem in furente morbo (*μανιάσι νόσοις* 59) compuli iniecique in malorum rete. (cf. 51, 66, 81, 186, 206, 216, 446, 452, 611, 625, 635, 639, 726, ubi «*νόσος*» aut «*μανία*», et quidem a diis immissa, aut simile quiddam legitur) — Aiacis autem culpa, qua suam sibi calamitatem contraxit, in promptu est multisque fabulæ locis eius fit mentio. Deos enim læserat, inprimis Minervam, cuius auxilium in acri pugna amice oblatum respuerat, spiritus gerens humanis viribus maiores (*οὐ 'κατ' ἄνθρωπον φρονῶν* 777). Adde, quod patri, qui in bellum proficiscentem filium hortaretur, ut deorum semper memor esset et cum eorum auxilio pugnaret, vires suas iactans se sibi gloriam paraturum esse etiam sine diis respondit (762—777). Attamen diis invisa est hominum vana iactatio et misere cadunt immania corpora consiliique expertia, quum supra hominum vires tendunt (758—761).[2]) Similem cladem ne superbia insolentiaque in se excitet, Minerva Ulixem Aiacis exemplo monet. Nam

τοὺς (δὲ) σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς (128).

Ergo pro viri tali fastu immoderatoque animo repulsa, quam tulit in armorum certamine, et vesania, qua dea virum insolentem cædemque Atridarum molientem affecit, haud iniusta apparet, immo malum, quod inde largum in eum manabat, iure ac merito passus est.

II.

Quare in his, de quibus expositum est, fabulis (Antigona, Electra, Aiace) Sophocles §. 8.
Aeschylum secutus eam rursus docuit sententiam, hominem liberi arbitrii compotem non pati, nisi noxa quadam implicatum. Nam sive inconsiderantia atque ira et legum suo iure stantium violatione communi gentis cuiusdam interitui obnoxius fit, — ut in Antigona et Creonte vidimus —, sive ex iure talionis pro immani cæde pœnas pares solvat necesse est, — id quod in Clytämnestra licet videre, — sive fastu inani viriumque iactatione iram numinis in se excitat, quæ est noxa Aiacis. Quod quidem ad Electram attinet, cur patiatur, inquirere supersedeo, quoniam, quod luget patrem, pium est ac naturale,

[1]) Præterea vocabulum *ἄτη* legitur v. 910, ubi «*ὤμοι ἐμᾶς ἄτας*» chori verba sunt, qui queritur de sua imprudentia, quod Aiacem mala molientem neglexerit et v. 1187, ubi idem «*τὰν ἄπαυστον ἄταν*» nominat suam tristem fortunam, per novem annos durantem multasque molestias sibi afferentem.
[2]) Cf. fr. 524. (Ahr.)

ex luctu vero ei omnia oriuntur mala, quæ patitur. Ac de his fabulis satis dictum est, deinceps de fabulis dicam, quarum altera inscribitur «Philocteta», altera «Trachiniae» in quibus quidem aliam, atque cognovimus, poëta explanat doctrinam. Nam occurrunt in iis homines malis obruti, qui nulla ex parte sontes sunt, quum nefas non patrarint, quod, quo sanctis legibus satisfiat, pari pœna expiari debet.

Ac primum quidem Philocteta, ulceratus vulnere pedis, quod «δακέθυμος ἄτα» (705) dicitur, et valde cruciatus per novem annos vitam degebat maxime ærumnosam, solus in deserta insula, nullo utens, qui pedem efferatum curaret, ipsumque consolaretur, destitutus necessario victu, quin etiam puræ aquæ egenus, quum esset tamen insons nullaque noxa affectus (οὔτ' ἔρξας τιν' οὔτε νοσφίσας 676 sqq.) Quare suo iure deos incusare videtur, qui pessimos quosque homines ac versutissimos augeant atque honestent, contra bonis ac iustis infligant calamitates (446 sqq. cf. fr. 239.). Nec vero, quo iure in tantam malorum molem inciderit, quo Fati vindicemus iustitiam, anxie inquirendum nobis est. Nam argumentum huius fabulæ singulare quoddam est. Quid enim? Philocteta divino consilio patitur (θεῶν μελέτῃ 196, ἐκ θείας τύχης 1326) et dii Philocteta ut instrumento utuntur, quo maiora altioraque consilia perficiant. Oraculum enim editum fuit, Troiam expugnatum non iri, nisi arcu Herculis, quem Philocteta gerebat, donum ab illo acceptum. Quare Troia ut divino consilio servaretur, Philocteta procul ab eo retinendus erat. Talem autem numinis in viri misera sorte nutum ac regimen Neoptolemus recte cognovit, quum choro, qui nihil aliud quam commiserabatur illius miseriam, nec quidquam spectabat supra, quam eius innocentiam, aliam aperiat ac novam rerum rationem (191, 343, 610 sqq.). Poëtæ vero ipsius de fatalibus numinibus opinio eo inprimis declaratur, quod causam mortiferi morsus, quem serpens pedi viri inflixit, nunquam addidit.[1]

Philoctetam igitur dii, quo maius consilium perficiant in regendo toto orbe, ut singularem hominem maiori parti subiiciunt, et recte quidem, quoniam unus inferior multis est. Pro tanta autem miseria, quam passus est, homo infelix luculenter accepit gratiam, quum tantum honorem consequeretur postea, qui par potest haberi malis, quibus erat implicatus, et Herculem, Jovis filium, præclarum habens exemplum, multa passus ad immortalem pervenit gloriam (1415 sqq.).

§. 9. In fabula autem, quæ inscribitur «Trachiniae» de Hercule primum non est, quod longus sim. Sævus enim ille cruciatus, qui membra eius adurebat, quum funestum illum amictum, a Deianira coniuge, ut amorem mariti, Jolam amantis, sibi reconciliaret, missum induisset, eius ἄτη est. In hanc enim sententiam chorus, postquam malum audivit, quod illa vestis, Nessi Centauri fatali sanguine imbuta, effecerat, mortem Herculis, ut laborum finem, viro fortissimo, ab oraculo eo ipso tempore futurum promissum, animo præsagiens, hæc: ἁ δ' ἐρχομένα μοῖρα προφαίνει δολίαν καὶ μεγάλαν ἄταν (850) i. e. «fatum autem

[1]) Nam quæ scholiasta ad v. 194 narrat, Chrysen deam amore Philoctetæ captam quum repulsam tulisset, iratam illud animal misisse, Sophoclis sententia nequaquam est.

appropinquans aperit magnam calamitatem et fraude adductam» (dum interea Deianira in cubiculo, quo abierat, calamitatem, quam properavit temere, temporis fatalis rationem non habens et Nessi fallacibus verbis confisa, lamentatur ac deplorat.) Hercules autem ipse se misere occidere dicit cæca calamitate (τυφλῆς ὑπ' ἄτης 1104) et suum malum (τήνδ' ἄτην 1002) neminem delenire posse putat præter Jovem, et valde dolet morbo serpente, quippe qui corpus suum convellat atque adurat (ἔθαλψεν ἄτης σπασμός 1184). Denique Hyllus patris miseram sortem commiserans, eam sibi luctuosam, probrosam diis (sc. Jovi, qui genuerit Herculem neque tamen a calamitate defenderit), sed gravissimam ei, qui (τήνδ' ἄτην 1274) sustineat, dicit esse. Quare Hercules ut eo tempore moreretur, ex oraculo Dodonæo quidem constitutum fuerat (161, 1164 sqq.), sed ipse tamen acerbum illud mortis genus noxa commeruit. Iphiti primum cum fraude cæsi Juppiter annua apud Omphalen servitute, in quam Herculem abiecit, pœnam sumpserat (270 sqq.), deinde novum viri delictum, dico raptum Jolæ, cuius flagrabat amore, singulare secutum supplicium est, acerba mors, quam ut properaret, ultro flammis se combussit, quibus absumpta macula est, qua vitæ splendorem vir fortis asperserat. — Quare chorus funesta illa arma deplorat, quæ Jolam Trachina deduxerint, et amorem esse primum malorum fontem significat (860, cf. 441, 893), et Venus ita tamquam ministra apparet τᾶς παλαιφάτου προνοίας (823) — Hæc de Hercule.

At vero si de Deianira quæritur, quæ maritum funesto illo dono in tantam dolorum acerbitatem induxit, summopere cavendum est, ne, quod peccavit, dolo malo ac scientem eam fecisse arbitremur. Est enim amantissima coniux, quæ magno desiderio, quo tenetur mariti, diu absentis, tabescit (104, 650 sqq.), quem quum comperisset alio amore captum, vult sola habere, et suo iure quidem, quum sit iusta coniux, quæ in rerum demum discrimine, quum sibi illa virgo adolescens sub eodem tecto secum versans metuenda esset (550 sq.) ad illam rem confugit, quam Nessus ei cum fraude suaserat. Attamen marito, qui eam graviter offendit, alius iniusto amore ægrotans, nescit irasci (543 sq.), et quum amictum illum, quem unxit Centauri fatali sanguine, Herculi missurus est, se nescire ait malas artes nec velle ediscere, quum oderit audaces feminas (sc. veneficas) et paratam se esse ostendit consilio desistere, si aliter sentiat chorus (578 sqq.). Accedit quod, ne male egerit, timore agitata, se a bona spe profectam ita fecisse dicit (667). Chorus autem eam excusatam habens consolatur, quum non sponte nocens sit, vulgatæ sententiæ eam admonens (727). Iam vero Hyllus, qui initio matrem incusaverat, voluntariæ cædis arguens (734 sqq.), atque etiam diras ei imprecatus fuerat (807 sqq.), postquam innocentiam matris cognovit, mortem, quam sibi illa ultro consciverat (868), coram patre, illi irascente, deplorans, non sponte eam peccasse dicit (1120) et experientem χρηστά (1136). Ita Deianira triste præbet exemplum hominis rerum necessitate ad temere agendum coacti, qui propter infirmitatem iudicii ac ratiocinandi (943 sqq.), peccavit, sed non sponte, immo vero bono consilio. Hoc cognito quæ contra dicuntur, Deianiræ culpam in eo cerni, quod oraculum neglexerit, eo ipso tempore ad eventum festinans (824, 45,

157 sqq., 649), et quod ipsa accuset suam stultitiam, quum Nesso confisa sit (705 sqq.), hæc nullius momenti sunt.

III.

